

**CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES  
UNIVERSITY OF TORONTO**

*Ph.D. Level Medieval Latin Examination*

**10 September 2004**

\*\*\*\*\*

Translate **ALL FOUR** passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.**

.....

**1. How to handle trouble (William de Montibus)**

Nec debet mentis vestre serenitatem aliqua tribulacio turbare, cum intelligatis quod nullus patitur aliquid iniuste, licet multi multa faciunt iniuste. Quod autem iustum est, iusto displicere non potest. Nulla igitur tribulacionis pena iusto displicet, cum iusta sit. Propterea dicit Salomon quod "iustum non contristabit quicquid illi acciderit." (Prov. 12:21). Animaduertendum quoque est quod cum quis propter penam corporis habet tristitiam mentis, quasi vulnus super vulnus apponit. Velud enim unum vulnus est ipsius corporis pena, et tanquam vulnus gravius adiectum est ipsa mentis tristitia. Insuper quoque adiectum vulnus tristicie primum vulnus non mitigat, sed ipsius dolorem aggrauat et acerbat. Ipsum quoque vulnus pene, si esset amatum quia iustum, cum amor facit omnia suauius, iam non haberet dolorem vulneris, sed medelam sanitatis. Leuiter ergo, quia iuste, et ne, sicut vulgo dicitur, de uno dampno facias duo, quicquid paciariis ferendum est.

## 2. Does a witch really do anything? (Malleus maleficarum)

Alii duo errores demones et eorum naturalem potentiam non negant sed inter se quoad effectum maleficalem et ipsam maleficam dissident, in quantum unus concedit maleficam realiter cooperari ad effectum, non tamen verum sed fantasticum; alter vero per contrarium effectum realem in lesio concedens sed maleficam fantastice putat cooperari. Fundamentum erroris ex duobus passibus canonis sumpserunt, ubi primo reprehenduntur mulieres que credunt se cum Diana vel Herodiade nocturnis horis equitare et quia sepe fantastice et imaginarie talia solummodo fiunt, ideo et illi errantes de omnibus aliis effectibus ita fieri iudicant; secundo, quia ibi continetur quod qui credit et asserit posse fieri aliquam creaturam aut in melius deteriusve immutari aut transformari in aliam speciem vel similitudinem quam a Deo omnium creatore, infidelis est et pagano deterior, unde propter hoc quod ibi dicitur, “deteriusve immutari,” dicunt illum effectum non esse realem in maleficiato sed tantummodo fantasticum.

## 3. Peter hears the call (Petrus Presbiter)

Cum in anno gratie Domini milleno  
Necnon octogesimo iuncto ducenteno,  
Philippo in Francia regnante sereno  
Principeque Martii die duodeno,

Ego, Petrus presbyter, seruus Dei viui,  
Cui seruire cupio semper et cupiui,  
Dum precarer Dominum, statim obdormiui  
Et hanc vocem dulciter dicentem audiui:

“Petre, surge, vigila et esto paratus,  
Nam seruus qui vigilat dicitur beatus  
Et talenta geminans et deflens reatus;  
Seruus nequam sustinet multos cruciatus.

Vigilare nam docet te sacra scriptura,  
Vigilare commouet huius mundi cura,  
Vt vigiles instruunt te dampna futura,  
Te mouet ut vigiles hostium pressura.

Nam hostes sunt anime trahentes ad mortem  
Mundus, caro, demones parantes cohortem  
In ipsa et cuneum crudelem et fortem,  
Super eius tunicam immittentem sortem.”

#### 4 Heaven and Hell (Boniface, *Epistula X*)

Vidit quoque mire amoenitatis locum, in quo pulcherrimorum hominum gloriosa multitudo miro laetabatur gaudio, qui eum inuitabant, ut ad eorum gaudia, si ei licitum fuisset, cum eis gauisurus ueniret. Et inde mirae dulcedinis flagrantia ueniebat, quia beatorum alitus fuit ibi congaudentium spirituum. Quem locum sancti angeli adfirmabant famosum esse Dei paradisum. Nec non et igneum piceumque flumen bulliens et ardens mirae formidinis et teterrimae uisionis cernebat. Super quod lignum pontis uice positum erat. Ad quod sanctae gloriosaeque animae ab illo secedentes conuentu properabant desiderio alterius ripae transire cupientes. Et quaedam non titubantes constanter transiebant, quaedam uero labefactae de ligno cadebant in Tartareum flumen, et aliae tinguebantur pene quasi toto corpore mersae; aliae autem ex parte quadam, ueluti quaedam usque ad genua, quaedam usque ad medium, quaedam uero usque ad ascellas. Et tamen unaquaeque cadentium multo clarior speciosiorque de flumine in alteram ascendebat ripam, quam prius in piceum bulliens cecidisset flumen.